



Notae ac signa typographorum

AD
ORATIONES LATINAS,
 SIMULQVE
 AD
GRATULATIONEM
NOBILISSIMI AMPLISSIMI EXCELLEN-
TISSIMI CONSULTISSIMIQVE
SENATUS NOSTRI,
 DE REGIMINE SUPERIORIS ANNI
 FELICITER GESTO,
 IN AUDITORIO MAJORI,
 DIE CRASTINO,
 HORA OCTAVA MATUTINA,
 AUDIENDAS
VENERANDOS DNN. INSPECTO-
RES, PATRONOS, ATQVE FAU-
TORES NOSTROS

OFFICIOSE INVITAT
M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/R.

— — — — —
CIKGNEÆ,
PRELO FRIDERICIANO.





Verit fortassis non ingratum lectori, oblata hac occasione, notas quasdam Bibliopolarum & Typographorum, quibus Opera sua ab aliis distincta esse voluerint, vel levi brachio tractatas ac recentitas cognoscere. Quocirca venientes, potissimum e forulis Bibliothecæ nostræ, nunc communicabo. *Georgij Angeliery, Veneti, Truncus, arboris factæ, isque fractus, ex quo ramus aureus propullulat, addita interpretatione: Simili fronde scet virga metallo, Aen. Virg. L. 6. pertinet ad celebrandam Dei gratiam & providentiam, piorum damna novis refarcientem fortunæ muneribus. Nunquam viduam Sareptanam gemellar, seu olla olearia defecit: neque Discipuli Christum secuti unquam aut usquam fame contabuerunt. Ejusmodi ramum aureum Aenææ decerpendum Sibylla Cumæa commendaverat, cum patrem Anchifen visurus apud inferos, regnum Proserpinæ adire vellet. Neque ante atra Ditis umbracula fas erat accedere, quam tale munus infernæ matri oblatum esset. Proinde & inventor hujus symboli videri poterit ad suam sortem oculos intendisse, quando a tenui initio ad majora incrementa rerum suarum subinde progressus, largientem Dei manum opulentiamque expertus est. Obiter notetur, quod idem ramus, sed in figuram literæ Pythagoricæ, h. e. y diductus, stemma gentilitium Baborum in Gallia præfert, adscripto lemmate: *labore parat gloria. Henrici Barentij, Amstelodamensis, Libra in æquilibrio posita, cujus ad lancem alteram vox, Credit, ad alteram, Debit, i. e. Creditum & Debitum, aut in numero multitudinis, Credita & Debita. Indicant sententiam duæ voces Belgicæ: Ghelyckheit bevredicht, Gleichheit bestriediget. Triplex potest esse sensus; vel quod æqualitas, justitiæ soboles, pacem & tranquillitatem inter homines conciliat; vel quod animus hominis facile vacet quiete, sicubi inter credita & debita intercedat disparitas, ita ut debitorum magnitudo excedat credita seu facultates opum; vel quod tantum debere creditorum debeamus, quantum nobis credidit, adeoque inter utrumque justa proportio requiratur: ne diminuendo vel negando creditum, alteri faciamus injuriam; ex quo deinde pax generis humani & societas turbetur. Aganthandri Perseus cum capite Medusæ, Aegide Palladis & gladio Mercurii depictus, ita videm, ut angvës Medusæ in homines effusi, stuporem incutiant, sapientiam pulchro eloquentiæ acumini adjunctam significat. Quamquam inscriptio: *Εκ πάυς κλέσ, ex labore gloria, in aliam deflectat sententiam, Gabrielis Buonii, Parisiensis, Bias, antiqvissimus Græciæ Philosophus, qualiter vix palliolo indutus, patriam Prienem relinquit, animum sua sorte contentum, atque in rerum omnium inopia tutum tamen & firmatum satis virtutum præsiidiis præ se fert. Desudet licet orbis, currat, properet, anhelet, rapiat, colligat; mihi semper illud est visum sapientissimum, abjecta mundi sarcina, quod & St. Bernardo placuit: Omnia habet, qui omnia habentem Deum habet. Pauli Frellonij, Lugdunensis, Aranea muscæ inhians, cum vocula imperante: *Matura, fugam, hoste instante, maturandam, cautionemque ac vigiliam coram adversario adhibendam præcipit; quasi cum Virgilio secure indormientem periculo suo excitatura fuisset: Heu fuge, nate Dea, teque his ait eripe flammis; Fuge, nate, propinquant (hostes) Est enim musca aranæ valde invisum animal. Gvil, Rovilij, Lugdunensis, Serpens fruticibus se insinuans, & in aquilam, rostro tenentem coronam, eniti laborans, ut enarratio ipsa habet: *Rem magnam sibi promittit prudentia, indicat maximum in minimo, robustum in infirmitate, defectas vires solertia ingenii & calliditate pensatas. Parva, si apparatus ejus dispicias, apparet sæpenuero prudentia (quid enim serpens præ aquila?) sed deinde res magnas efficit, vel coronas ex aquilino rostro extorquens. Henr. Stephani, Parisiensis, Olea partim florida, partim fractis ramis trunca, virum digito intento admirabundum, & nescio quid meditantem exhibet, & quoniam verba apposita: *Noli altum sapere, ex cap. 11.******

17. 18. ad Rom. deprompta sunt: Ne glorieris adversus ramos &c. quid mihi jam scribenti hæc aliud in mentem veniat, quam aliud ejusdem Apostoli? Curate, ut salutem æternam cum metu & tremore consequamini. Multi labuntur ante, quam se lapsos esse sentiant. *Dominici Farrij* Onyx, seu unicornis, cruribus anterioribus terram fodicans, impuritatis quoddam simulacrum est, aut impietatis divina detrectantis: quo sordibus terrestribus adhærescat. Infantiunt, ita me Deus adjuvet, qui, spreta cœlesti luce, nequitia tenebris se involvunt. Constat autem ex historia naturali, unicornem ita facere, five ad requiem, five ad nequitiam, ut oculos nigriore facie obruat, ne solem vel lunam orientem intueatur. *Ludovici Cloqvemirij*, Lugdunensis, Cor binis manibus inter se complicatis prehensum, atque a solis radiis illuminatum, cujus in margine occurrens interpretamentum: *Contrahitur corde, verbis initur, manibus conservatur societas*, testatur, ad societatem firmam verba non sufficere, licet ea januum societati aperire possint, neque in manibus seu operis & officii posita esse omnia, nisi cor accedat, Societatis fidelis genuinum fundamentum. Amans animus, non speciosa oris forma, amoris recti vinculum est. *Christoph. Plantini*, Antverpiensis, Vitis vis lætissimis amicta, sed magis amicta verbis Evangelistæ Joh. 15. *Christus vera vitis*, fontem salutis æternæ svavi lusu adumbrat, a fertilitate fructus dulcissimi defumto. Bearum, qui vitalem succum non aliunde haurit! *Mich. Jovij*, Lugdunensis, Jupiter suæ aquilæ insidens, tanquam orbis moderator, dextra quidem gerit sceptrum; oculorum autem lumina in terras demittit; circum leguntur hæc: *a Jove cuncta juvante*, vel apud Pœtam plenius: A Jove principium, Musæ, Jovis omnia plena. Sed quantum ponderis habet os Pauli! Quid habes, o homo, quod non acceperis? 1. Cor. 4. *Job. Murendorffii* Manus e nubibus protensa in plano ducit circumulum, cum, *Constantia*, labore, vixque tanti esse laborem sine perpetuitate docet. Finis enim, non principium, coronat. *Martini Nucij*, Antverpiensis, Ciconia, anguibus pascens pullos suos, quid sibi velit, oratione ligata exponitur: *Pietas homini tutissima virtus*; ubi pietas non cultum divinum, sed amorem naturalem parentum in liberos denotat. Amat enim illa avis glottorans, quos incubando exclusit, quam vehementissime, & mire sollicita est, ne quid unquam desit victus quotidiani. Neque vero liberorum amor in parentes hinc sequelstrandus, cum pater Anchises filii humeris exceptus Aeneam per flammam furentes (quæ se transituro heroi sua sponte divisisse finguntur) & per media hostium agmina, innoxium deduxerit. Ego filiis omnibus hoc loco & animum & os Aeneæ opto: Cervici imponere (pater) nostræ, ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit. *Phil. Ulhardi*, Augustani, Parnassus biceps, cum Musis canentibus & alato Pegaso, studia literarum exprime-re videtur, utpote quæ animum serenum, locum opportunum, igniculos mentis excitatæ variosque motus requirunt. *Job. Gesselinii*, Parisiensis, Cerva alata cursuque per saltus volitans, quam brevis ævi simus omnes, admonet, & ejusdem expositio: *Sic ætas non retinenda fugit*. Nec melius ætatis nostræ conditio describitur, quam per alas, vel invidiam, si eam alatum aut invidiosam cum Pœteris vocites. Occasionem igitur, svadente Horatio, rapiamus de die, & vestigia quedam nostri relinquamus, ex quibus nos aliquando vixisse testatum faciamus. *Regnaudi Chaudierij*, Parisiensis, Globus mundi, sole, luna, cæterisque stellis & ventis perflantibus adspectabilis, virque pariter alteram manum attollens, alteram demittens, aut stupendam mundanæ machinæ compagem, aut interitum orbis olim futurum, ubi Deo placuerit, palam facit. *Claudi Largotij*, Lugdunensis, Viator, extensa cœlum versus manu dextra, erectoque vultu apparens, & supra caput incedentis nomen Jehovah Hebr. literis scriptum, & inscriptione: *Laudo, qui clare ut, omnia sua negotia solis jubari exponit inspicienda*. Et sancte quidem integreque: Nam qui

FK Ta 459 X 296 477

qui mala agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius: Qui autem operatur veritatem, venit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius, quod per Deum facta sint. Joh. 3. *Francisci Bazzaj*, Veneti, Angvis in igne, quem manus aliqua cœlitus protegit. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. Scilicet Deo duce & auspice Deo, nunquam cespitamus, nunquam in præceptis labimur, nunquam hostibus præda sumus. Si per ignem ambulaveris, ero tecum, neque flammæ furor te absumet. Ef. 43. *Job, Francisci de Villava*, Valentini (Hispani) Laurus, & tria fera eidem intexta, & Hemistichion: *Hinc folius laus orta meis*, originem ornamenti nostri depingit. Ornatur utique laurus, cum ex ea complicatæ coronæ excellentium hominum capitibus imponuntur. Et qui patrem egregiarum virtutum est adeptus, & qui Patrono potente fruitur, ei triumphare simili modo licebit, dicendo: Hinc folius laus orta meis. *Job, Frobenij*, Basileensis, Caduceum, seu baculus duabus serpentibus cristatis, sibi que faciem mutuo obvertentibus ornatus, comite ulula Minervæ dicata, argumento est, veram sapientiam nullo tempore abesse a prudentia prudentique facundia, æque ut vera prudentia matrem habet sapientiam, & utraque sublata, nihili æstimanda venit eloquentia, quæ jactatur. *Lazari Zezneri*, Argentinenfis, Minerva galeata, & noctua, & quadratum versus duobis repræsentatum: *Scientia immobilis*, ostendit, scientiam genuinam tam esse firmam & suis fixam radicibus, ut eradicari, immutari tollive nullis viribus queat: quodque ejus demonstrationes tam sint certæ, ut figuræ Geometricarum quadrangulares. Quod igitur alias, si homini adjungas nomen, asperæ interpretationis est (homo quadratus quernum, robustum, magnis ossibus formidabilem significat) id ad scientiam accommodatum, summæ non minus laudis, quam felicitatis esse putatur. *Christoph. Froschovii*, Tigurini, Rana, in qua puer hastam gerens sinistra equitat, ridiculus eques; item Ranæ ejusdem sensum in arborem profluentes, ad nomen Autoris alludunt. Froschovius enim, quasi *Frosch auf*, vel *auf den Frosch*, vel *Frosch auf den Baum*, excitemento esse potuit ad spem fortunæ amplioris concipiendam, & ad audendum aliquid: cum audentes fortuna, non timentes, juvet. Repunt aliquando ranæ, & primæ fortunæ rudimenta adumbrant; aliquando subsiliunt, & progressum illius designant; aliquando affiliunt eminentibus, & augmenta fortis beatoris prædicant. *Andr. Wechelii*, Hannoviensis, Caduceum, cumque eo Cornu copiæ atque Pegafus, infertis literis A. W. h. e. Andreas Wechelius, de literarum cum eloquentia conjunctione, & quæ eas sorores comitari debet, prosperitate generis humani explicant. *Job, Oporini*, Basileensis, Arion, Lesbii ille citharcedus, super delphine, resonans pandura, documentum dat notatu dignissimum ex præcis rerum gestarum monumentis; quod *arssem*, sicut ex ipsa declaratione patet, *quævis alat tellus*. Namque ope hominum deficiente, ecce sues marinæ humanitatem quandam induunt, & musicum cithara canentem tergo officiosè excipiunt, secumque ad litus patrium deportant.

Simile institutum, sed prolixiore opera, duo discipulorum nostrorum tenebunt,

- I. DAVID CHRISTIANUS LOHDIUS, *Stargardia-Lusavius*.
- II. CHRISTIANUS FRIDERICUS EHIUS, *Cyanea-Misnicus*, Prior symbolum *Ludovici Elzevirii*, Amstelodamensis, Oleam, penes quam Minerva galeata, cum Aegide & ulula, tribus verbis: *Ne extra oleas*; Posterior ex *Officina Elzeviriana* Lugduno Batava, Ulmum vitibus amictam, cum duobus voculis: *Non solus*, sibi elegerunt, ea mente, ut illinc aurea virtutis mediocritas, istinc societatum civilium utilitas deduceretur. Id quod præsentibus literis præfari me oportuit. P. P. Cygneæ
D, 15. Octob. 1714.

nc

Notae ac signa typographorum



AD
ORATIONES LATINAS,
SIMULQUE
AD

GRATULATIONEM

NOBILISSIMI AMPLISSIMI EXCELLEN-
TISSIMI CONSULTISSIMI

SENATUS NOS
DE REGIMINE SUPERIOR
FELICITER GEST

IN AUDITORIO MAJORI,
DIE CRISTINO,

HORA OCTAVA MATUTIN
AUDIENDAS

VENERANDOS DNN. INS
RES, PATRONOS, ATQVE
TORES NOSTROS

OFFICIOSE INVITAT

M. GEORGIUS ANDREAS Vinho

CYGNÆ,
PRELO FRIDERICIANO.

